

## ALMANNI RESCRIPTUM.

Venerabili præposito THEUDOINO, ALMANNUS peccator.

Præcipis mihi charitate cœlitus infusa cordibus electorum per Spiritum sanctum qui datus est nobis, ut vitam sancti Memmii Catalaunensis primi pontificis, vetustate neglectam et imperitia corruptam, haud secus ac si ex cineribus effossam, innovare contendam peritia corrigam; et quidquid videtur deesse, moliar supplere studio veritatis impressus. Sed multa sunt, quibus facile tanto me possum excusare negotio. Primum, quod disputatio neoterica non congruit tantæ gravitatis et sanctitatis viro. Secundum, quod ipse testis ignorantie meæ, nullius testimonio nititur conscientia mea, ut me profitear sapientem, cum sim insipiens: ideoque minus convenit, ut præsumam ultra vires aggredi negotium. Tertium et maximum illud est, quod peccatorum meorum luctuosa recordatio, dum pro debito delictorum meorum me soli delegat amaritudini, terribilem mihi timorem incutit, illius gesta pangere stylo, cujus prædicationis apostolicæ et sanctissimæ religionis nunquam me, proh dolor! participem imitatoremq̃ exhibui. Fateor ergo, debetur hoc opus vitæ merito, et charitatis scientia sapienti, non mihi per omnia insipienti, ne mihi veniat illa vox justæ severitatis, quæ dicat: *Quare tu enarras justias meas, et assumis nomen meum per os tuum?* (Psal. XLIX.) Sed quia te precante charitas jubet, te hortante Christus imperat; quantumcunque nostrum fuerit minusculum, non subterfugiam, quin quod Dominus dederit, pandam. Novi etenim quod dicitur: *Aperi os tuum, et implebo illud* (Psal. LXXX); et: *Operare terram tuam, et satiaberis panibus* (Prov. XII, 11). Nec quæram altitudinem verborum, cum minime unquam illam attigerim; sed et simplex habens ab antiquitate materiam, verbis quidem simplicem, sed factis limpidius sole lucentem, et omnem mundanæ molis machinam potentia sui et virtute divina transcendentem; et ipse velut potero, sequens ero, suffragium a vestris orationibus quærens, ut a quatuor ventis veniens spiritus mortua ossa mea vivificet, et

me talem facere dignetur, a quo non exigit debita usque ad novissimum quadrantem, quin potius debeat et dimittat omnia delicta mea usque ad novissimum quadrantem. In quo sanctus Memmius nobis pius intercessor existat, cui devotionis nostræ servitium offerre conamur, licet exiguum, tamen quantum nostræ parvitatibus igniculus et veritatis materia cum auxilio divino contulit nobis. Atque in hoc communi opusculo tuum erit eligere quem sortiamur iudicem. Etenim cum in omnibus rebus sit utilis probatio, Apostolo dicente: *Omnia probate, quæ bona sunt tenete* (I Thess. v, 21); maxime in his necessaria habentur, quæ veritatis lucem justæ examinationis efficacia spectant; et hoc vel solum maximum est, cur exspectamus iudicium sapientie. Etenim ipsas grammaticæ cautelas, quibus a barbarismo aut solecismo censet ipsa cavendum, aut nihil aut parum curamus in hujus rei moderatione: cum quærentur veritas, et debeat facessere vanitas, et optemus fugere contrarium, cum insistamus gravitati [i. veritati] pro viribus mentis. Neque hoc dicimus, ut grammaticam reputemus in vitio, cum sit ipsa sola, vel maxima virtus scientie: sed quia veritati operam dantibus obscurantur alia, velut a sole sidera. Unde dictum est: *Tenebras non amabo, cum solem videro*. Denique quantum in hoc patiar verecundiam, effari aut vix, aut minime possum, veritus ne siam fabula sapientibus, qui in hac re volui consulere legentibus: ubi succurret modestie latebra, si fieri posset, ut absque exaratoris nomine manet scriptura in opere. Et hæc arbitrio tuo pariter derelinquo. Potens est enim Deus auferre opprobrium nostrum, quod et faciet, ut in misericordia ejus veraciter confidimus, intercedente beato Memmio, qui nos cœlitus oculis respicit benignis; te per devotionem mentis hortantem, me pro debita fidelitate et capacitate cordis scribentem. Opto itaque vobis hujus facti non modicam manere mercedem: cui cum omnia debeam, tam arduam rem negare non potui. Opto vos quam bene valere, et esse felicem usque ad supernæ gloriæ contemplationem.

ANNO DOMINI DCCCLXIX.

# PAULUS ALVARUS CORDUBENSIS.

## NOTITIA HISTORICA.

(Apud Antonium, Bibliotheca Hispana vetus, tom. II, p. 473.)

Synchronus omnibus his fuit ALVARUS CORDUBENSIS, de quo memorie quidquid est, compilavit Ambrosius Morales lib. xiv, cap. 3. Nobis tamen non

omnia placent quæ de eo uti comperta referuntur. Ait Morales illustri cum genere ortum Cordubæ fuisse, atque idcirco *Serenitatis et Serenissimi* vica-